



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

14. An hæres, qui non confecit inuentarium, possit vti beneficio cessionis?  
Idem est dicendum de Clerico. Ex par. 7. tract. 8. res. 14.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

beneficio?

Idem est dicendum de Clerico. Ex p.7. tr.8. Ref. 13.

Sup. hoc sup.  
in Ref. 11. §.  
2. à lit. 5.

§. 1. **R**espondeo negativè, & ideo qui contraxit sub spe huius beneficii & refugij, non gaudet beneficio cessionis bonorum. Ioannes de Plat. Iason & Schneidv. in §. fin. Inst. de act. Angelus in l. 4. §. item non gaudet. ff. de cess. bon. Brunus in d. r. q. 30. n. 1. quart. q. princ. Thom. Zerolla in prax. Episc. v. Litera quinquennales. vers. 9. Plot. in l. si quando n. 179. C. vnde vi. ubi dicit, quod dolose contrahens debita, asserens, se habere facultates sufficientes, cum non sit ad soluendum sufficiens quod non admittitur ad cedendum bonis, quod post eum voluerunt Vincent. Annib. in addit. ad Mandos. conf. 170. & Car. de Grass. d. except. 17. n. 32.

2. Frustra igitur ad cessionis remedium confugit debitor, qui spe cessionis contraxit. Quod cum fecisse verisimile est, qui contractus tempore sciebat, se non posse solvere. l. pen. in fin. ff. de iur. dot. Idque latius paulò exequitur Hunnius de resol. ad Trent. vel. 2. disp. 24. thes. 4. lit. l. pag. 44. Zaf. in §. compensationes 39. vers. fin. n. 6. de act. iust. Hico Vmmius in diss. suis ad process. iudic. direct. disp. 23. thes. 5. n. 26. Matth. Brunus in tr. de cess. bon. in 30. & 31. q. quarta q. principal. Alex. Trentacinq. var. res. lib. 3. tit. de solution. vers. 27. n. 27. cum seqq. Ioan. Neuzanus conf. 59. n. 10. & seq. quibus omnibus adde Maxi. Faust. de Erar. Class. 16. conf. 1272. Harpprechum in Comment. ad inst. r. 4. tit. de act. §. ult. n. 10.

3. Ex his etiam inferitur Clericum qui contraxit debita sub spe gaudendi beneficio c. 1. dandis, illo non gaudere. Ita Squillante de privileg. cleric. c. 10. n. 15.

## RESOL. XIV.

An heres qui non confecit inventarium, possit vti beneficio cessionis?

Idem est dicendum de Clerico. Ex p. 7. tr. 8. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo quod Matth. Brunus in tr. de cess. bon. q. quart. princ. q. 6. statuit, quod heres, qui non confecit inventarium hereditatem adit, cedere bonis nequeat, quia presumitur, hereditatem opulentam, & ad soluendum sufficientem, inuenisse. Nouel. l. c. 2. §. si verò non confecerit. l. ult. C. de iur. delib. & creditores voluisse decipere, iis verò qui conati sunt creditores fallere, beneficium cessionis non competit. Deinde, quia poena heredis in inventarium non conficientis est, ut in solidum teneatur creditoribus hereditariis, d. l. ult. §. 12. 13. 24. C. de iur. delib.

2. Verum Hieron. Trent. & Hunnius volum. poster. disp. 24. thes. 4. volunt, quod heres non conficiens inventarium bonis cedere queat per text. in d. l. ult. §. 14. C. de iur. delib. & Nou. l. c. 2. §. 2. vbi dicitur, heredem non conficientem inventarium teneri creditoribus hereditariis in solidum, quemadmodum ipse defunctus teneretur, si viveret; Atqui defunctus possit bonis cedere, Ergo etiam heres. Deinde heres etsi non confecerit inventarium, atque ideo in solidum teneatur, habet tamen defuncti beneficia, quia cum sua causa suisque vitis transit hereditas, l. heres ff. de reg. iur. l. hereditas ff. de ver. oblig. quod indubitanter procedit in beneficiis, quæ non sunt personæ, sed causæ, quale est beneficium hoc cessionis; Iam verò certum est, quod principalis debitor, si non habuerit, vnde creditoribus satisfacere possit, nequeat conici in carcerem, si velit bonis cedere, l. qui bon. ced. poss. & si bonis cesserit, ac postmodum ad pinguio-rem fortunam peruenierit, conueniri non possit, nisi in quantum id facere potest, l. qui bonis ff. eod. Hoc igitur beneficium etiam heredi competit: Nec ab eo propterea, quod non confecerit inventarium, excluditur, quia poena non confecit inventarij hæc saltem est, vt in

solidum creditoribus hereditariis sit obligatus: quimò illi soli hoc beneficium competit: qui enim competentia privilegio gaudent, cessionis auxilio non indigent: sed & defunctus, cuius personam heres repræsentat, in solidum obligabatur suis creditoribus, & tamen illum cessionis beneficium habuisse certum est. Et præsumptio illa qua heres inventarium non conficiens præsumit debeat aliquid dolose subtraxisse, & opulentam inuenisse hereditatem in allegatis textibus non est fundata: & fieri potuit, vt heres nimium conficiens hereditati ex imprudentia illam tanquam opulentam adierit. Deinde, & si præsumptio illa foret iuris, tamen contrariam probationem admitteret: idcirco, si heres admittere velit excussionem bonorum; aut aliunde liquido demonstrare possit, quod hereditatem minus opulentam, ac talem inuenierit, quæ non sit sufficiens ad soluendum, audiendus vtrique foret, se à præsumptio crimine excusare volens. Neque id sequitur, in solidum est obligatus creditoribus hereditariis, ergo non habet beneficium cessionis, cum hoc privilegium illis solis competat, qui in solidum sunt obligati, non verò tributantur illis, qui beneficium competentia habent.

3. Non desinam tamen hic adnotare Squillante de privileg. cleric. c. 10. n. 43. ex Triuisano, & Riccio docere Clericum heredem non confecit inventario non esse admittendum ad beneficium c. Odoardus de solut.

## RESOL. XV.

An valeat pactum, si quis beneficio cessionis renunciasset?

Et quid, si pactum, & renunciatio cessionis bonorum firmetur cum iuramento?

Et an in tali casu debitores possint petere ab Episcopo absolutionem iuramenti? Ex p. 7. tr. 8. Ref. 15.

§. 1. **N**egativam sententiam docent Couarruias lib. 2. var. Ref. 1. Menochius de arbit. cas. 183. n. 18. Neuz. conf. 59. n. 6. Glossa in Aubert. Imo. C. de act. & oblig. Bartolus & Imola in l. alia, §. eleganter. n. 15. & 16. ff. sol. marim. Ioan. Fab. Ias. & Aretin. in §. ff. Inst. de act. Albertus in rub. C. qui bon. eod. poss. n. 1. Iacobus in §. quod autem, aub. de fideiuss. Antonius de Butrio in c. Odoardus de solut. Cardin. Alban. ad Bart. in l. qui bonis ff. de cess. bon. Carolus de Grassis except. 17. n. 10. Sup. hinc Et quod renunciatio cessionis bonorum hæc quidem iuramento firmetur, tradunt Iacobus, Aretinus, & Baldus in l. 1. C. qui bonis eod. & est magis communis opinio, testibus Benedicto Capra in l. d. n. 3. Baptista à Villal. in lit. P. n. 146. & in lit. O. n. 7. & Viu. lib. 1. Debitori non potest, Bartol. & Imola in l. alia, §. eleganter. ff. sol. mar. Socin. reg. 279. Cynus & Salicet. in l. 1. C. qui bon. ced. poss. Menochius d. cas. 183. n. 18. Thesaurus dec. 16. n. 4. vbi dicit hanc esse magis communem Cappel. Thol. dec. 67. Neuz. conf. 59. n. 6. Iosephus Ludouicus dec. 64. n. 21. nec opus est absolutio à iuramento, Guido Papa dec. 211. Bero. q. 133. n. 5. Iosephus Ludouicus dec. 64. n. 20. Carolus de Grassis except. 17. n. 12.

2. Fundamenta verò horum præcipue hæc sunt: renunciatio privilegio cessionis intelligitur se obligare ad carceres, cum beneficium illud liberet debitores à carceris molestia, l. ff. de cess. bon. nemo autem potest se ad carcerem obligare, quia carcer est species servitutis, nec liber homo est corporis & membrorum suorum dominus, l. liber homo ff. ad l. Aquil.

3. Deinde renunciatio, & pactum super iure futuro non valet, l. is qui heres ff. de acq. hered. l. si in scripturis, §. 1. ff. de leg. 2. l. 1. C. de pact. Ergo, &c.

4. Tertiò, quia renunciatio beneficii cessionis est contra bonos mores, quia humanitati repugnat, siquid hoc beneficium singulari humanitate ex commiseratione & misericordia erga obaratos debitores est institutum.